

NUMMUS CASTRENSIS

PETRI STROZZÆ: GALLICI EX-

ercitus, qui in Italia & Atrebatibus regi militabat,

summi Præfecti : Cusus Anno Chri-

sti 1553.



HENRICUS secundus Rex Galliarum, cum parum ei feliciter hoc anno res in Gallia Belgioque successissent, non malè rebus consulturus suis videbatur, si vires Cæsarianæ, uno eodemque tempore, ad Italicum, Belgicumque bellum distraherentur. Statuit igitur pluribus in locis Cæsarem vexare, eoque consilio Petrum Strozam, summum Ducem in Italiam mittit, cum proregia potestate, qui præset cum summo imperio omnibus regijs copijs, ma-

gnamque equitatus & peditatus numerum, undique ex Italis urbibus acciret ad stipendia: quin & ipse promittit, magnas se ei copias è Gallia, proximâ æstate, in Italiam missurum. Non deest rebus gerendis Petrus, uti videre apud Historicos, Jacobum in primis Thuanum, licet: cum à Cæsare vicissim Jacobus Medicæus Marchio Mariniani, summo imperio rerum militarium præficatur, qui clam instructis quibusdam Hispanorum cohortibus præcedens, Chamoliam munitionem Senæ urbis, à paucis negligenter custoditam occupat. Strozza qui in Galliâ Subalpinâ faciendis bellicis apparatus occupatus fuerat, citatis equis Senam convolat: urbem ingressus omnibus necessarijs reparationibus instruit: postea optimis firmissimisque præsidijs munit classium, Rosetum Montem Alcinoi, & reliqua Senensis ditionis oppida. Longum ac periculosum eo tempore bellum geritur, donec Regis tandem exercitus, cui Strozza præerat, in Hetruria à Cæsariano milite interceptus, ingenti clade mulctatur. *Conabatur magni Herois*